ra cōtremiscit: q̄do pecca
tor ad lachrīas cōmouet.
Admōeo igit̄ te soror ca
rissima: ut in orōne cū la
chrymis ad memoriā re
ducas peccata tua: q̄a q̄ nō
hēt cordis cōpunctionē uel
cōtritionē nō hēt mundā
orationē. Soror mihi in
xp̄o amabilis: audi exēpla
sc̄toꝝ: q̄ p̄ cōpunctionē &
lachrymas apud deū obti
nerunt ueniā peccatoꝝ
suoz. Anna m̄r Samuelis

p cōpūctionē & lachrias
meruit habere filiū: īsup
obtinuit apd̄ deū p̄phe
tie donū. Dauid p̄ compū
ctiōne & lachrias obtiuit
ueniā p̄petrati omicidii:
atq; adulterii. Sic. n. audi
uit p̄ p̄phetā: Nō morie
ris: q̄a dōinus trāstulit pec
catū tuū. P̄ thobias p̄ cō
pūctionē & lacrias meru
it accipe curationē cecita
tis: & cōsolationē paup̄ta
tis. Sic. n. dixit ei raphael
āgelus. Gaudiū tibi sp̄sit
& adiecit. Forti aīo esto: ī
pxiō ē ut a deo curreis.
Etiā maria magdalēa per
cōpūctionē & lachrias me
ruit a domino audire Re
mittunt̄ tibi peccata tua.
Soror uenerabis: iō exē
pla factōre p̄posui tibi: ut
lachrie p̄ cōpūctionē sua
ues sint tibi. bōa cōpūctio
thesaurus ē desiderabilis
& ienerrabile gaudiū in
mēte hoīs: Aīa q̄ ī orōne
hēt cōpūctionē: p̄ficit ad

salutē. Vir fortis nō ē mi
nus laudādus ī luctu q̄ in
bello. Quia ergo post ba
ptismū īgnauimus uita m
baptizemus lachris cōsci
entiā n̄ram. Vbi lachrie
fuerūt: tibi accēdit̄ spiritua
lis ignis q̄ illuminat̄ secreta
mētis lachryme p̄itētū
p̄ baptisate reputātur
apud deū. Soror mihi in
x̄po dilecta: si cōpūctionē
secūdū deū habueris btā
eris. Cōpūctio cordis: sa
nitas ē aīe: Cōpūctio mē
tis illuminatio ē aīe: quia
tūc aīa illuminat̄: q̄do ad
lachrias cōpūgit̄. Cōpun
ctio lachriarū remissio est
peccatorū: q̄a tūc peccata
dimittunt̄ q̄do cū lac hris
ad memoriā reducūtur.
Cōpūctio spiritū factum
reducit ad se: q̄a cū sp̄rita
factus mēte uiuitat̄: statim
hō peccata sua plorat. IN
TERROGATIO. O
frater mi queso dic mi
hi que sunt cause nostri

doloris: pro quibus in hac
uita mortali ploramus. scilicet
pro peccata nostra: & pro
miseriis huius mundi ac
pro compassione proximi: &
pro dilectione celestis pre
mii. Propter peccata fle
bat ille qui dicebat. Laua
bo per singulas noctes le
ctum meum: lacrimis me
is stratum meum rigabo. Idem
de miseris huius mundi
gemebat cum dicebat.
Heu mihi quia incolatus
meus prologatus est: habi
tavi cum habitantibus ce
dar multum incola fuit anima
mea. Dominus pro compas
sione fleuit: super lazaram &
super ciuitatem iherusalem di
ces. Quia si cognouisses
& tu et paulus apostolus
quod precipit gaudere cum gau
dentibus & flere cum flen
tibus pro compassione do
lebat dicens. Quis infirmus
& ego non infirmus? Cum
dilectione celestis premii
plorabant iusti dicentes.

Super flumina babilonis ibi
lic sedimus & fleuimus:
dum recordaremur tui syon.
Vita presens mors est quae est
plena miseris quod non est in
paradisum sed in uia. Nec est in
domo sed in exilio: In hoc
mundo non sumus in nostra ci
uitate: sed in peregrina
tione sicut scriptum est. Non
habemus hic manentem ciui
tatem: sed futuram inquirimus.
Responsio. Soror dilecta
iam moneo te: ut primo lu
geas pro peccata tua: dein
de pro miseris huius mun
di atque compassione proximi
at postremum uero pro dile
ctione dei ac celestis pre
mii. Honesta uirgo dep
care deum cum omni deuotione
ut det tibi ueram mentis con
punctionem & cordis con
tritionem. Compunctio uni
genitum christum dei filium fa
cit habere in se sicut dominus
ipse ait. Ego & pater uenie
mus & apud eum quod me
diligit mansione faciemus.

Vbi lachryme abundant
ibi graues cogitatiōes nō
ppiquant: & si aliq̄do ap
ppiquant ibi radices nō
hēt. Lacryme apud deū
sp̄ nobis dant fiduciā ma
gnā. Soror ī xp̄o amabi
lis mihi audi uocem Iesu
xp̄i sp̄si tui dicētis. Surge
amica mea & ueni p̄ dile
ctiōē iā. n. iems trāsit im
ber abiit & recessit flores
apparuerūt ī terra: t̄ps pu
tatiōis aduenit: uox tur
turis audita ē in terra n̄ra
hoc ē uox p̄dicatiū apo
stolorū ī ecclesia: Turtur ē
auis castissima q̄ in excel
sis & ī arboribus sp̄ nidifi
care uel morari solet. apo
stolos uel ceteros docto
res significat qui possunt
dicere n̄ra cōuersatio ī ce
lis ē: q̄ et gemitū hēt p̄ cā
tu & significat plorātū s̄a
ctōrū qui suos ad lamētū
& fletū ortant̄ dicentes.
Miseri estote & lugete.
Igit̄ honesta uirgo accipe.

exēplū huius turturis &
luge p̄ amorem Iesu xp̄i
sp̄si tui quousq̄ eū uide
re possis regnantē ī solio
regni sui. Melius ē tibi lu
gere cū amore Iesu xp̄i q̄
cū timore īferni. Pulchre
sunt gēne tue sicut turtu
ris. Natura turturis ē ut si
p̄ occasionē pdiderit cōiu
gē alterū āplius non q̄rit.
O sp̄sa xp̄i assimilare &
tu huic turturi: & p̄ter Ie
sum xp̄m sp̄sū tuū ama
torē nō q̄ras alterum. O
sp̄sa xp̄i esto similis tur
turi & luge die ac nocte
cū desiderio Iesu xp̄i sp̄
si tui quia iā ascēdit ad ce
los: ut aliq̄do faciē illius
uidere merearis in dexte
ra patris. Pulcre sunt gē
ne tue sicut turturis. In gē
nis solet esse uerecondia.
Soror uenerabilis gēnas
habes turturis si preuere
cōdia Iesu xp̄i sp̄si tui mi
hi cōtra uolūtātē illius fa
cis Gēnas habes turturis

si cū amore & reuerentia
xp̄i ea q̄ illi displicēt post-
ponis: Gēnas hēs turturif
si p̄ter xp̄m alteꝝ amicū
nō diligis. Iḡr soror carissi-
ma īdefinēter pctā tuā cū
lachris laua. Quotidie la-
ua tuas negligētias p̄pū-
ctiōnē & lachrymas. Trāf-
gressiōes tui ordīs sine in-
termiſsiōe ablue cum la-
chris & p̄ lachrias: cōpun-
ctiōnē acquire tibi tuorū
remiſsiōnē peccatorū p̄ la-
chrias & crebra suspiria:
acq̄re tibi eterna gaudia.
Plāge iniq̄tates tuas. Ma-
la sceleꝝ tuorū deplora.
Mala q̄ egisti flēdo cōme-
mora. Meroris ūda te iri-
get. Cōpelle te plāgeꝝ flu-
uius lachriarū. Que gessi-
sti prauē: flectibus dele. q̄
illicite cōmisti lachrymis
ablue. Hōēsta uirgo si pec-
cata nō ploraueris in hoc
seculo: q̄do dictura es deo
posuisti lachrymas meas ī
cōspectu tuo charissimas si
iniquitates tuas nō fleueris

ī hac mortalitate: q̄do di-
ces. fuerūt mihi lachryme
mee panes die ac nocte.
Moneo iḡr te sp̄ōsa xp̄i:
ut ī hac mortali uita luge-
as peccata tua: ut cōsolari
merearis in celesti patria
Sicut scriptū ē. Beati q̄ lu-
gent: quoniam ipsi conso-
labuntur. Amen.

De tristitia. Ser. xi.

Dominus dicit ī euan-
gelio: amē amē dico
uobis: q̄a plorabitis: & fle-
bitis uos: mūdus at̄ gaude-
bit. Vos at̄ cōtristabimī:
sed tristitia ūsa uertet in
gaudiū. Etiā salomō ait.
Cor gaudēs exilarat faciē
sp̄s uero tristis deicit in
merorē aīe. Aīus gaudēs
facit etatē floridā: sp̄s ue-
ro tristis exsiccāt ossa. Filii
ī bonis nō des q̄ relā: & in
oī dato nō des tristitiam
uerbi mali. Oīs plaga tri-
sticia cordis ē. locunditas
cordis ē uita homīs. Cor
prauū dabit tristitiam: &
hō sapiēs resistet illi: p̄ tri

tristitia festinat mors : tristitia
flectit cervicē cordis .
Cor letū bonā facit uali-
tudinē : uiro autē tristi exficā-
tur ossa . Et iā btūs athana-
sius dicit . Hō tristis sp̄ ma-
liciaē & cōtristat sp̄m s̄c-
tū sibi a deo donatū . hoc
ē docet apostolus dicēs .
Nolite constriuari sp̄m
s̄c̄tū q̄ h̄itat ī uobis ī quo
signati estis ī die redēptio-
nis . Vide ergo soror cha-
rissima ne cōtristes sp̄i-
tū s̄c̄tū q̄ h̄itat ī te : ne for-
te derelinq̄t te . Aufer a te
dubietatē & aīositatē : qa
utriq̄ cōtristat sp̄m s̄an-
c̄tū . Aufer a te tristitiā : qa
ipsa ē soror dubietatis &
aīositatis . Certe tristitia
secularis oīum malorū sp̄i-
rituum ē pessimorū : & no-
cet seruis dei . Tristitia se-
cularis ledit & cōterit : at-
q̄ allidit seruos dei . Sp̄s
n̄ . s̄c̄tū nō sustinet tristi-
tiā carnalē . Igit̄ soror dile-
ctā idue sp̄ letitiā sp̄ualē :

q̄ hēt gratiā apud deū : oīs
letitia sp̄itualis sp̄ bona
ē : & bona cogitat : atq̄ cō-
tēnit uanā tristitiā . Si leti-
tia sp̄ualis bona nō esset :
nūq̄ p̄pheta diceret : Le-
tamini ī domino & exul-
tate iusti : & gloriāmi oēs
recti corde . Et itē letā-
bit iustus ī domo & spa-
bit ī eo & laudabunt oēs
recti corde . INTERRO-
GATIO . O frater caris-
sime : si tristitia mala ē &
nocet seruis dei : qd est qd
ait salomō . Cor sapentiū
ubi tristitia ē : & cor stul-
torū ubi est letitia ? RE-
SPONSIO . Soror uene-
rabilis hoc q̄ ait salomō :
Cor sapiētū ubi tristitia
ē : & cor stultorū ubi est le-
titia . Nō ē itelligēdū nisi
de sp̄uali tristitia & de se-
culari letitia : Ac si aptius
diceret . Cor sapiētū ubi
tristitia est sp̄itualis : &
cor stultorum ubi est se-
cularis letitia . Qui secun-

dū deū tristitiā hēnt sapiētes sūt. Qui at̄ secundū seculū tristitiā hēnt: sunt sapiētes: Vnde dominus in euāgelio. gaudete & exultate: quia noīa uīa scripta sunt ī celis & paulus apostolus. Quasi tristes: sp̄ at̄ gaudētes: & itēx. Gaude te ī domino sp̄ itēx dico gaudete: ergo tristitia sp̄ ritualis b̄ca ē. Tristitia uero q̄ nascit̄ de cupiditate tp̄aliū reḡ ē mala. De tristitia sp̄uali scriptū ē. Beati qui lugēt: quoniā ipsi cōsolabunt̄: de tristitia at̄ seculari ait salomō. Multos occidit tristitia: & nō est utilitas ī ea. Itēx d̄ leticia sp̄uali dicis̄. Letes̄ cor q̄ rētiū dominū. Et itēx de leticia seculari legitur. Vobis qui ridetis nūc: quoniā plorabitis & flebitis. Soror carissima: audi etiā q̄ beatus paulus dicit. Tristitia q̄ sc̄dm deū ē: opaf̄ salutē penitētie. Tristitia

uēo q̄ ē sc̄dm seculū opaf̄ mortē. Oīo hoīs q̄ sp̄ est tristis: nō hēt uirtutē nec pōt ascēdere ad deū. Vbi tristitia fuerit cooperata sp̄ui sc̄tō: nō ibi est acceptabilis oīo: quia īfirma ē: & nō pōt ascēdere ad deū: Igif̄ soror mihi amabilis: omitte tristitiā desine tristis eē: tristitiā repelle a te. Noli dare te multae tristicie. Nō p̄seueres in tristitia: Ne dederis tristicie cor tuū: Tristitia unū ē ex septē principalibus uiciis & iō ē cauēda ab oībus seruis dei. Vnde beatus ysidorus. Si bene & pie uixeris: nunq̄ eris tristis. Bona uita sp̄ hēt gaudiū. Honestas soror: ergo expelle a te tristitiā: q̄a sicut t̄ea comedit uestimētū: & sicut uermis rodit lignū: ita tristitia necet cordi: Mūda ergo cor tuū ab oī tristitia carnali: atq̄ seculari: & oīo tua erit ac-

ceptabilis apud deū. Igit̄
soror uenerabilis de re-
cordattōe peccatorū tuo-
rum luge: & ī amorē Iesu
xp̄i sp̄osi tui gaude. de me-
moria p̄cedētū delictorū
tuorū plora & de spe ce-
lestiū bonorū exulta. De
trāfactis culpis & negligē-
tiis tuis dole: & de p̄missi-
one celestis regni letare.
De p̄teritis tuis d̄ictis cō-
tristare: & de gaudio eter-
ne retributiōis hylaresce.
Ad q̄ te p̄ducēr dignes̄ il-
le: cui ī tuo uirgineo cor-
pore iocundū habitaculū
preparasti. Amen.

De dilectiōe dei Ser. .xii:

D Om̄ius n̄r Iesus xp̄s
dicit ī euāgelio. Siq̄s
diligit me: sermonē meū
seruabit: & p̄r meus dili-
get eū: & ad eū ueniēus &
māsiōnē apud eū faciēus.
Et iōānes apostolus. Nos
diligimus deū. quoniā ip-
se prior dilexit nos. Qui
diligit deum: exorabit p̄

peccatis suis: & cōtinebit
se ab illis. Soror charissi-
ma dilige deū & iuoca eū
ī salute tua: q̄a dilectio est
uita: & odiū ē mors. Deus
non uult se tātū diligi uer-
bis sed puro corde & opi-
bus bonis. Deū nō diligit
q̄ dei p̄cepta cōtēnit. Mēf-
hoīs q̄ deū diligit: nō ē in
terra sed in celo: q̄a sēp ce-
lestia desiderat. Moneo
te soror carissima ut dili-
gas deū sup̄ oīa: q̄a ipse te
elegit ante secula. Plus de-
bemus deū diligere q̄ pa-
rētes n̄ros. Quare? quia
deus fecit nos & parētes
n̄ros p̄priis manibus. i.
p̄pria uirtute. Sicut scrip-
tū ē: Ipse fecit nos: & non
ipsi nos. Maiora tribuit
nobis xp̄s: q̄ parētes n̄ri.
Et iō sup̄ parētes debemus
diligere xp̄m. Stultū ē ali-
qd̄ plusq̄ deū amare: qui
pl̄o diligit creaturā q̄ crea-
torē peccat. Et q̄ p̄ponit
amorem creature amori

creatoris errat. Ergo sup
oia é deus a nobis diligen
tus. Dic obsecro honesta
uirgo cū amore & dilecti
one de xp̄o: dilectus me
us mihi & ego illi q̄ pascif
iter lilia donec aspiret di
es & iclinet̄ umbre. Sp̄o
sa xp̄i rogo ut aptio dicas.
Dilectus meus mihi socie
tur uiculo charitatis & a
moris & ego illi cōiūgar
& socier uiciffitudine mu
tue dilectiōis q̄ pascif̄ iter
lilia hoc é delectat̄ & iocū
dat̄ iter cādidas & odori
feras uirtutes scōre atq̄ i
ter choros uirginū donec
aspiret dies & iclinet̄ um
bre: donec nubila tráseat
p̄sētis uite & appeat dies:
hoc é ueniat claritas sepi
terne beatitudinis. Soror
charissima iustitia est deū
toto corde amat̄: Illiq̄ to
ta adherere uolūtate: q̄ é
sūmū bonū. Sūmū bonū
amare sūma é beatitudo.
Qui deū amat bōus est: si
bonus ergo & bt̄us. Quā

to hō plus deū diligit: t̄nto
magis bt̄us erit. Dilectio
é specialis & pp̄ria uirtus
scōre. Amátissima mihi i
xp̄o soror: iō hec dixi: ut
nullo amor seculi te sepet
ab amor xp̄i. Sp̄osa xp̄i é
rogo: ut aliquid nobis de
more celestis scōsi tui di
cas. Fasciculus mire dile
ctus meus mihi iter ube
ra mea cōmorabit̄. Dic er
go charissima planius: ut
ea q̄ dicis itelligamus. Fa
sciculus mire dilectus me
us mihi inter ubera mea
cōmorabit̄. Locus cordis
é iter ubera: hoc é iter mā
millas: ergo dilectus me
us iter ubera mea cō
morabit̄. i. memoria: di
lectio: & amor Iesu Xpi
sp̄osi mei: sp̄erit̄ iter mā
millas meas hoc é i corde
de meo. Et siue i p̄speris:
siue i aduersis sp̄ad meo
riā reducā oia bona q̄ mi
hi tribuit: q̄a dilexit me &
mortuus é p̄ me: atq̄ ascē
dit ad celos: & ut ad eū p̄

ueniã quotidie uocat me
dicēs. Veni de libano spō
sa: ueni de libano: ueni co
ronaberis. Leua iesu xp̄i
spōsi mei sub capite meo
i. donū spūssci: r̄quiescat ī
me ī hac p̄feti uita: & ītel
lectus sc̄age scripturaz sit
in mēte mea: ut eū cogno
scā: & p̄fecte diligā. & dex
tera illius āplexabit me:
hoc ē ad eternā btitudinē
puenire faciat. Charissi
soror roga ācillas xp̄i que
tecū sūt & dic eis. Fulcite
me floribz: stipate me ma
lis: qa amore iesu xp̄i spō
si mei lāgueo. O uos sc̄te
sorors mee: q̄ iā xp̄m sup
oīa diligitis: & nihil amo
ri illius preponitis: fulcite
me bonoz uroz exēplis
& q̄lis xp̄m dilectū meū
īuenir̄ ualeā ostēdite qa p
amor̄ illio īfirmor. Hic a
mor dulcis: hic lāguor sua
uis: hec īfirmitas sc̄ta: hec
dilectio casta: hec ciūctio
ītemerata: hec copula iui
olata: hec cplexio illibata

O uos sc̄e sorors mee: ful
cite me floribz. i. uere uer
fatiōis exēplis qa p amor̄
xp̄i spōsi mei īfirmor hōe
sta uirgo: uer̄ p amor̄ iesu
xp̄i spōsi tui lāgues & īfir
maris: si p amor̄ illio oīa q̄
ī hoc mūdo sūt c̄tenis & d̄
spicis. uer̄ p aōre iesu xp̄i
īfirma iaces ī lecto c̄tēpla
tōis: si xp̄m sup oīa diligis
uer̄ p amor̄ xp̄i es īfirma
si plus diligis celestia q̄ ter
rena: Vere pp amorē &
dilectiōnē xp̄i lāguida ia
ces ī lecto ītime dilectiōis
ac suauitatis si ī sc̄is opibz
es fortis: & ī terrenis acti
bus es debilis. Soror mi
hi ī xp̄o amabilis: si xp̄m
ex toto corde tuo dilexe
ris & nihil amori illius p̄
posueris: cū eodē iesu xp̄o
spōso tuo ī celesti r̄gno le
taberis. Si xp̄m ī tota mē
te secuta fueris: & ī eū to
ta mēte dilexeris: absq̄ ul
la dubitatiōe cū eo ī cele
sti p̄ria gaudebis: & eū cū
sanctis uirginibus quo

cūq̄ ierit seq̄nis. Si cū oī d̄
uotioē xp̄o adheferis: &
ad eū die ac nocte suspira
ueris ī hoc p̄feti seculo: si
ne dubio cū eo exultabis
ī celesti palatio: atq̄ inter
uirginū coros cātabis illi
dulces hīnos: sicut scriptū
ē. Qui pascis iter lilia sep
tus coreis uirginū: sponsa
decorās gloria sponsisq̄
redēs p̄mia. Quocūq̄ p̄
gis uirgines secūt atq̄ lau
dibus: post te canētes cur
sitāt: hīnosq̄ dulces p̄fo
nant. Ideo hoc dixi soror
charissima: ut christū sup
omnia diligas: & ut nihil
amori illius p̄ponas. Ob
secro te dilecta soror: ut
nullā p̄ter xp̄m sētias dul
cedinē: nullū p̄ter xp̄m q̄
ras amorē: & nullā preter
xp̄m diligas pulchritudi
nē. Pro amore xp̄i luge
p̄ amore xp̄i plange: do
nec eū merearis uidere ī
dextera p̄ris sui r̄gnātē.
De dilectioē p̄xi. Ser. xiii.

Oror charissima au
di que dominus no
ster Iesus christus ait di
scipulis suis. In hoc cogno
scēt oēs q̄a mei estis disci
puli: si dilectionē hūeritis
ad iuicē. Oīs fideles disci
puli xp̄i sūt. Vnusq̄sq̄ illi
us discipulis est: cuius do
ctrina seq̄tur. Ergo q̄ uult
xp̄i discipulus eē: studeat
p̄ximos suos tanq̄ seipsū
diligere. Dilectio p̄ximi
malū nō operat̄ q̄re: q̄
plenitudo legis ē dilectio
Et paulus apostolus. Am
bulate ī dilectioē: sicut &
xp̄s dilexit nos: & tradi
dit semetipsum p̄ nobis.
Etiam iohannes apostolus
ait: q̄ diligit frēm suū ī lu
mie manet: & scādalu nō
ē ī eo: q̄ odit frēm suū ī te
nebris ē: & ī tenebris am
bulat: & nescit quo uadat
quoniā tenebr̄ obcecaue
rūt oculos eius. Si q̄s dixe
rit diligo deū: & frēm su
um oderit mēdax ē: & ue

ritas i eo nō ē. Et hoc mā
datū habemus a deo: ut q
diligat deū: diligat & fra
trē suū: q nō diligit frēm
suū quē uidet: deū quē nō
uidet quō pōt diligere: et
salomō ait. Oī tpe diligit:
q aicus ē. Et fr i necessita
te cōprobat. Et btūs au
gustinus: hoīem uicis hūa
na felicitate: diabolū uicif
inici dilectiōe. Tamen so
ror dilecta: nō debet iter
seruos dei carnalis dile
ctio eē: sed spūalis. Nihil
deo specialibus uirtute di
lectiōis. Nihil desiderabi
lius diabolo q extinctio
charitatis scētus amor nō
hēt scādalu. Oēm hoīem
fidelē iudica tuū eē frēm.
Memēto q unus artifex
cōdidit nos. Verus amor
nō hēt amaritudinē scan
dali. Soror uenerabilis: in
pxī dilectiōe cognosces
quō debeas puenire ad di
lectionem dei. Sicut dile
ctio mētē eleuat: ita mali

tia demergit. Nec deū ue
re sine pximo poteris di
ligere: nec pximum sine
deo. Verā charitatē tene
si & amicū diligis in deo:
& inimicū diligis pp deū:
q̄tū fueris larga i dilectio
ne pxī: tātū eris alta i con
gregatōe dei. Si i ueritate
diligis pximū tuū i trāqli
tate ē cor tuū. Ille uero q
pximū suū hēt odio: cir
cūdatus ē tenebris & te
dio diligēdo pximū: pur
gas oculū mētis: ad uidē
dū deū. Tamē fuerēdissi
ma soror mōeo te: ut nul
lū hominē carnaliter dili
gas. Vnde btūs Isidorus.
Multū i terra dimeris ē q
diligat hominē moritūre
plusq̄ oportet carnaliter
cū deo manere nō possu
mus si i hoc seculo unaies
esse uolumus amicus i ne
cessitate cōprobare. Si p
cepta dei uolumus custo
dire: sicut nosmetipsos de
bemus pximos nostros

diligere: q̄a si sine disimu-
latiōe diligit hoīem fr̄em
cito placat deū p̄rem: q̄ di-
ligit p̄ximū: nō p̄t face-
re hōicidiū: nō adulteriū: nō
furtū: nō piuriū: nō falsū
testimoniū: nō rapinam:
nō iudicare: non litigare
Igit̄ honesta uirgo dilectio
nē dei & p̄xi i q̄ tota lex
p̄det & p̄phete sp̄ medi-
temur: & ope p̄ficiamus.
Sed si p̄xius n̄r patit̄ aliq̄
tribulationē: aut infirmita-
tē: aut dānū: aut i carcerē
mittit̄ si dolēus p̄ illo: in
corpore ecclesie sumus.
Si at̄ nō dolemus: iā a cor-
pore ecclesie p̄cisi sumus:
charitas q̄ colligit & uiui-
ficat oīa mēbra ecclesie:
si nos uiderit de ruīa p̄xi
gaudere: statim nos p̄cidit
a corpore. Tādū dolet mē-
bro: q̄ diu i corpore cō-
tinet̄. Si at̄ mēbr̄ p̄cisum
fuerit a corpore: nec sc̄it̄
poterit nec dolē. Si ma-
nus aut pes aut aliqd̄ mē-
brū p̄cisū fuerit a corpore

si totū corpus tūc i multis
partibus diuidat̄ aut i ignē
mittat̄: manus illa iā non
sc̄it̄ q̄a iā diuisa ē a corpore
Talis est oīs xp̄ianus qui
ad alteri dāno: aut tribu-
latiōe: aut āgustia: aut ne-
cessitate nō dolet. Sed q̄
peius ē gaudet: q̄a iā alie-
nus ē a corpore ecclesie.
Nos uero honesta uirgo
si uerā & p̄fectā charitatē
uolumus custodire diliga-
mus bene oēs hoīes fide-
les sicut nos metipsos stu-
deamus diligere: ut q̄a xp̄s
ē caput n̄r̄: nos merea-
mur mēbra illius ēē: ut cū
xp̄s apparuerit q̄ ē gloria
n̄ra: nos p̄ cōcordiā chari-
tatis & p̄ dilectionē dei &
p̄xi: cū ip̄so possimus apa-
rere i gloria. Tunc uero a-
micus amat si nō p̄ se sed
p̄ deo amat. Vnde b̄tus
ysidorus. Qui it̄ ep̄ater a-
mat amicū. magis amat il-
lū p̄ se q̄ p̄ deo. Tūc q̄sq̄
bōitati atq̄ diuine iustitie
sit cōtrarius: q̄do despicit

aicū aliq̄ aduersitate p̄cuſ
fū. Vera aicitia nulla occa
ſiōe excludit: nullo tpe de
leſ. ſed ubicūq; ſe uerterit
t̄ps: illa firma ē. Pauci ſūt
aici q̄ uſq; ad finē ſint ca
ri. Illa uera ē amicitia: q̄ ni
hil ex rebus amici q̄rit: ni
ſi ſolā beniuolētiam. ſ. ut
gratis amet amantem ſe.
Igit̄ foror amabilis ī xp̄o:
moneo te ut diligas aicos
tuos ī deo hoc ē in bono.
Dilige ēt inimicos tuos
pp̄ deū. Sicut ſcriptū ē. di
ligite iimicos ur̄os: bene
facite his q̄ oderūt uos &
iteꝝ. Si exurierit iimicus
tuus ciba illū: ſi ſitit potū
da illi. Et iteꝝ. Benedicite
p̄ſequētibus uos: benedi
cite & nolite maledicere.
Dilectio ē foror charita
tis. Charitas nūq̄ fuit ſine
dilectiōe nec dilectio ſine
charitate. hōeſta uirgo er
go neceſſaria ē nobis di
lectio: ī q̄ tāte uirtutes cō
ſiſtūt: & de q̄ tāta bōa na
ſcūt. Dilectio hēt duas a

las. Ala dextera ē dilectio
dei. Siniftra ala ē dilectio
px̄i. Nullo hoīum cū una
ala poterit uolare ad celū
Quar: q̄ nec ſola dilectio
dei ſine dilectiōe px̄i: nec
ſola dilectio px̄i ſine dile
ctiōe dei ualet: ad cōſequē
dā eternā beatitudinem.
Virgo prudens ſume tibi
has duas alas: uidelicet di
lectiōem dei & px̄i: ut li
bere poſſis uolare: bona
op̄ado: & p̄uenire ad pa
triā celeſtis regni. Amē.
De cōpaſſiōe. Ser. xiiii.
S. Oror chariſſima: au
di qd dominus nr̄ le
ſus xp̄s dicat: Oīa bona q̄
uultis ut faciāt uobis hōi
nes: & uos facite illis. Hec
ē. n. lex p̄phete. Et paulus
ait: gaudere cū gaudētibus
flere cū flētibus. Et iterū.
Suſcipite i firmos: pacien
tes eſtote ad oēs. Et ſalo
mon ait. Qui deſpicit p̄
ximū ſuū peccat. Fidē poſ
ſide cū px̄io tuo: ī paup̄ta
te illius: ut & ī bonis eius

leteris. In tēpore tribula-
tiōis permane proximo
tuo fidelis: ut in heredita-
te illius sis coheres. Qui
cauat pximo suo a fouea
cadet i illā. Et qui parat la-
cum proximo suo pibit i
illo. Vnde psalmista. La-
cum apuit & effodit eū:
& incidit in foueam quā
fecit. Perfecite proximū
non diligit qui illum i ne-
cessitate nō succurit. quā-
to amplius per compasio-
nem proximis nostris in
necessitate succurimus:
tanto amplius creatori
nostro appropinquamus.
Sic debemus habere curā
nostri: ut nō negligamus
curam proximi. Igitur so-
ror dilecta q̄ non uis tibi
accidere: nec pximo tuo
cupias euenire. Condole
alienis calamitatibus. Sau-
cia te flectibus in alienis
meroribus. In tribulatio-
ne alterius & tu esto tri-
stis. Cū ifirmis esto infir-

ma. Sic alienos merores
tanq̄ tuos luge. Cū plāgē
tibus plāge: cū lugentibus
luge: cum fientibus fle: cū
plorantibus plora. Talis
esto aliis. qualis optas cir-
ca te esse alios. Quod nō
uis pati: non facias alteri:
non facias alteri mala: ne
tu paciaris similia. Ita cle-
mens esto in alienis deli-
ctis: sicut in tuis: ut nō ali-
ter te & aliter alios p̄ses.
Si ceciderit inimicus tuus
noli gratulari. in ruina ad-
uersarii tui: noli extolli:
non leteris super inimici
interitum: ne forte & tibi
superueniat malum. Nō
extollaris de casu inimici
ne forte conuertat deus
iram suam in te. Qui. n. h.
gaudet de casu inimici: ci-
to ueniet super eum ma-
lum. Sit igitur humanus
affectus erga miserum: sit
erga pauperem: dolor cō-
passiōis. Sit erga deiectū
amor miserationis. Si esu

riērit inimicus tuus ciba il-
lū: si sitit potū da illi. Nō
despicias paupes. Nō cō-
tēnas egenos. Nō uilipen-
das pupillos. Nullus a te
tristitiā hēat. Nemo a te
cōfusus abscedat. Visita ī
firmos: cōsolāī pusillani-
mes: ut tu a domino cōso-
lari merearis ī eterna bea-
titudine. Amen.

De misericordia. Ser. xv.

Soror charissima au-
di lesū xpm ī euāge-
lio dicētē. Btī misericor-
des: quoniam ipsi miseri-
cordiā cōsequētur. Et ite-
rū. Estote misericordes:
qa & p̄r uī celestis miseri-
cors ē. Et Paulus aposto-
lus. Estote at̄ iuicem beni-
gni & misericordes. & in-
duite uos sicut electi dei:
& scī ī scā misericordia.
Pietas at̄ ad oīa utilis est.
Et salomō ait. Facere mi-
sericordiā & iudiciū ma-
gis placet deo q̄ sacrifici-
um. Misericordia facit lo-

cū unicuiq̄ secūdū meri-
tū opū suoz. Misericordia
hoīs circa se & circa pxi-
mū suū. Misericordia at̄
domini sup oēm carnē.
Ille offert sacrificiū q̄ fa-
cit misericordiā. Miseri-
cordia at̄ domini a cōpa-
tiēdo aliene miserie: uoca-
bulū sortita ē. Qui ē alte-
ro misericors nō fuerit:
misericordiā dei iuenite
nō poterit. Soror dilecta
mihī ī xpo: Misericordia
& ueritas te p̄cedant. Mi-
sericordiā nunq̄ deserās.
Benefacias aīe tue si mi-
sericors fueris. Qui alte-
ri miseretur: misericordi-
am a domino cōsequetur
Soror soror uenerabilis:
quod hēs hēto ad miseri-
cordiā. Prebē misericor-
diā sine murmure. Tale
erit opus tuū: q̄lis fuerit ī
tētio tua. Nō ē misericor-
dia ubi nō ē beniuolētia.
Bonū q̄ facis: pp miseri-
cordiā fac: nō pp uanam

gloriā Nihil facias pp lau
dē: sed pp eternā remune
rationem. Nihil facias pp
tpalē opinionē: sed pp et
nā mercedē. Nihil facias
pp famā: sed pp uitā eter
nā. Ad quā te pducere di
gnus oī potētes deus reue
rendissima soror. Amen.

De exēplis scōꝝ. Ser. xvi.

R. De uersionē uel emē
dationē fidliū multū
exempla scōꝝ p sūt. soror
charissima iō scribūf cha
rus & repatiōes scōꝝ ut
nos miseri pp multitudi
nē pcōꝝ nō despemꝝ sed
ut p penitētiā rīurgēdi et
post lapsū spem hēamꝝ ut
nullꝝ post peccatū d bōita
te dei dīspet dū cōspicit et
post ruinā repationē fuis
se scōꝝ p pte rea posuit de
us uirtutes scōꝝ ad exem
plū nrm ut p uestigia ipso
rū puenire possimꝝ ad re
gna celoꝝ uel si eos ad be
neopādū seq noluerimus
ī pēis: Inexcusabiles simus

sci dei hoies q̄ diu fuerūt
ī hoc seculo nō cessauerūt
currerē ī bōis opibꝝ. s. ī ie
iuniis: ī uigiliis: ī elēosinis
ī castitate. ī cōtinētia: ī lō
gāimitate: ī paciētia: ī fua
uitate: ī orōnibꝝ: ī psecuti
onibꝝ: ī beniuolētia: ī fa
me & siti: ī frigorē & nudi
tate: & ī laboribꝝ multis p
xpī noīe. Sci hoies despe
xerūt psetē mūdū: ut eter
nū regnū acq̄rerēt. nō ac
cepūt hic pmissiones uel
diuitias miserabiles huius
seculi q̄ pducūt hoies ma
le eis utētes ad tormēta ī
ferni sed hāc p̄riā tota itē
tiōe relinq̄ntes ad celestē
hierusalē leuauerunt ocu
los suos: hoies sci uitauē
rūt peccatū ī uerbo: in fa
cto: ī cogitatiōe: ī uisu: in
auditu: ī motu: ī oculis: in
manibꝝ: ī ira: ī pedibꝝ: ī ri
xa: ī furore: ī discēsiōe: in
uanagloria: ī supbia: ī elā
tiōe. ī cupiditate. ī gula: in
īōnolētia: ī fornicatiōe: in

uolētia. Custodiētes cor
pora sua & aīas suas. Duo
bus modis ieiunauerūt. s.
a uitiis & actibus. Bona ē
abstinētia ciborū: sed mul
to ē melior abstinētia uiti
orū. Vnde ecclesia de suis
mēbris. i. de eisdē scīs p̄ri
bus dicit. Manus mee stil
lauerūt mirrhā. qd p̄ ma
nus nisi opatiōes scōrū. In
telligim⁹ & qd p̄ mirrhā
nisi mortificatio carnis:
& mortificatio uitiorū ac
cipit. Manus ecclesie sc̄ti
hoīes s̄t: bōa opātes: de q̄
bus dicit: Opati sūt iustiti
am. Manus ergo ecclesie
mirrhā bonorū opū stillāt:
q̄a nobis exēpla beneui
uedi d̄mōstrāt: & ut uitia
carnis n̄e mortificemur
p̄dicant unde qdā eorū di
xit. Si. n. sc̄dm carnē uixe
ritis moriemini. Et itē
mortificate membra ur̄a
q̄ s̄t sup̄ rā. Et itē eccle
sia dicit: digiti mei mirra
p̄batissima. Tūc uere ē mir

ra p̄batissima q̄do p̄fe
cte caro mortificat: & ui
tia atq̄ pccā extingunt. Iḡ
soror i x̄po dilecta si socie
tatū scōrū hēre cupimus:
neccesse ē ut exēpla scōrū
seq̄mur. Si peccam⁹ iā de
pcō nullā excusationē hē
mus. Quā? q̄a & lex dei
quottidie nos amonet ut
bene uiuam⁹ & exēpla s̄
ctorū pat̄rū sp̄ iuitāt ad be
neopandū sed etsi aliq̄do
secuti sumus exēpla malo
rū hoīum: cur nō seq̄mur
exēpla scōrū pat̄rū. Et si ap
ti fuim⁹ ad imitādū malos
i malū: cur pigri sumus ad
imitādū bonos in bonū?
Soror uenerabilis. ergo d̄
p̄cemur deū ut uirtutes s̄
ctas quas suis sanctis pre
parauit ad coronam no
bis non sint ad penam ne
q̄ ad damnationē sed ad
p̄fectū & salutē. Sine du
bitatiōe credius q̄a si exē
pla scōrū sequuti fuerim⁹
post hāc uitā cum eis i ce

lo regnabius: q̄to āplius
uita sc̄tōꝝ patꝝ legius si
exēpla eoz̄ seq̄ nolumus
& tāto āplio culpabiles su
mus: Nūc honesta uirgo.
Oipotētē deū dep̄cor ut
det tibi has uirtutes sc̄tō
rū patꝝ. s. humilitatē xp̄i.
Deuotionē petri: Chari
tatē ioannis: Obedientiā
Abrae: paciētā isaac: To
leratiā iacob: Castitatem
Ioseph: Mansuetudinem
Moysi. Cōstatiā Iosue: be
gnitatē samuelis: Miseri
cordiā dauid: Abstinentiā
dāielis: & cetera digna fa
cta priorum sc̄tōꝝ ut post
hāc mortalē uitā puenire
possis ad societātē eoz̄.
Virgo Christi quotidie
cōsidera quo moderamini
bē: q̄ itentiōe: uel q̄ cōpū
ctiōe hoīes xp̄i placuere
deo. Vnde ī plōna xp̄i in
cāticis cāticōꝝ ecclesie dī
q̄ pulchrū sūt gressus tui ī
calciamētis filia p̄cipis.
Christus p̄ potentiā diui
nitatis princeps eū oīum

creaturaz̄: & iō sc̄a eccle
sia filia p̄cipis dicit q̄a p̄
p̄dicatiōē xp̄i ī nouā ui
tā r̄ generat. Que sūt at
calciamenta ecclesie nisi
exēpla sc̄tōꝝ patꝝ quibus
ī uia huius seculi munif ut
p̄ oēs tribulatiōes calcia
mēta ābulet. Soror ī xp̄o
amabilis & nos sp̄ualiter
pedes calciamus q̄do a fā
ctis p̄ribz̄ exēpla beneui
uēdi sumimus ut ad simi
litudinē eoz̄ tētatiōes hu
ius mūdi uicamus. Iteꝝ ī
eisdē cāticis. Sponsus ec
clesie. s. xp̄s loquit̄ dicens.
descēdi ī ortū ut uiderem
poma cōualiū & īspicerē
si floruisent uinee: si ger
miāssēt mala pūica. uinee
florēt quādo ī ecclesiis fi
lii recēter ī fide generant̄
& ad factā cōuersationē
q̄si ad soliditatē bonorū
opez̄ p̄parātur. Mala pu
nica germināt q̄do p̄fecti
hoīes p̄ exempla bonoz̄
opez̄ suos p̄xios edificāt
& ī nouitate sc̄e uerfatio

nis p̄ p̄dicationē suā & p̄
ostētionē bone uite ī sc̄is
opibus renouant. Vnde
moneo te ī xp̄o sp̄ualisa
mica ut des bonū exēplū
de te oīb̄o hoībus ī oī tua
uita. Venerabilis uirgo d̄
fidēro ut luceas oīb̄o acil
lis dei q̄ tecū sūt ī mona
sterio bene uiuēdo qa si
cut ait bt̄s Gre. q̄ aliis su
am bonā uitā abscōdūt in
femetipsis accēsi sūt: sed a
liis ī exēplū lumis nō sunt
Illi uero q̄ exēpla uirtutū
& p̄uitā factitatis atq; per
uerbum p̄dicationis aliis lu
mē demōstrāt lāpades ar
dentes sūt qa aliis uia salu
tis ostēdūt. Vnde d̄oinus
dicit. Lux uīa luceat corā
hoībus ut uideāt opa uīa
bōa & glorificēt patrem
uest̄e q̄ ī celis ē: qa uideli
cet soli deo ē reddēda oīs
gloria: xp̄i uirgo te mōeo
tamē ut ita sit opus tuū in
publico q̄teno ītentio tua
māeat ī occulto. Igr̄ amā

tissima mihi ī xp̄o: soror
sicut superius dixi tibi in
oīb̄o actib̄o tuis: in oī ope
tuo: ī oī cōuersatiōe tua.
Imitare sc̄os: emulare iu
stos: hēto āte oculos tuos
exēpla sc̄oz: exēpla iusto
rū imitādo cōsidera. Exē
pla iustoz p̄pone tibi. pa
trū exēpla sint tibi imita
mēta discip̄lie. Intēde uir
tutē sc̄oz ad bene opādū
itēde ad bene uiuendū do
cumēta sc̄oz. Nulla infā
mia scādalizet uitā tuam:
Nulla op̄io aduersa te cō
tristet. Disce flagrare bo
no p̄cōio hēto testimōiū
bonū: custodi tuā famam
bonā. tua bōa fama nullis
fedorib̄o obscuret: tua bo
na fama nullis obprobri
is laceretur. Amen.

De cōtentiōe. Ser. xvii.
Aulus apo. ait: Cū. n.
sūt inter uos zelus &
otētio nōne sc̄dm hoīem
ābulatis & carnales estis?
Et salomō ait. Inf̄ sup̄bos

sp sūt iurgia: sp malus iur-
gia q̄rit āgelus malus mit-
tis cōtra eū. q̄ p loca picu-
losa uadit cito cadit: sic il-
le q̄ quotidie cū px̄is suis
cōtēdit cito ī scādalu cadit.
Viri mites: sp despiciūt li-
tes: q̄ quotidie cōtēdūt &
rixāt a paucis hoībō amā-
tur: p̄pterea pax & cōcor-
dia oībō hoībō sūt necessa-
ria. Soror charissimā au-
di beatū Aug. dicētē. O q̄
irrephensibilis eē potere
mus nō tā diligenter n̄ra
uitia emēdaremo q̄to stu-
dio aliēa reprēdimō. Sed
si nos bene cōsideramus:
multa ī nos rephēder̄ pos-
sumus: uolo q̄ cognoscas
q̄a nihil ē turpius q̄ lites ī
ter religioſus q̄ deb ēt p̄cō-
cordiā & dilectiōē lucef̄
ī mūdo: sicut luminaria ī
celo. Cōtētiōes ex iuidia
& d̄tractiōe solēt euenire
atq̄ oriri. Sed si d̄tractio
& iurgia sūt ī claustrō ubi
ē taciturnitas regularis:
ubi sc̄itas religioſis ubi silē-

tiū ord̄is: ubi religiositas
mōasterii: ubi uiculu cha-
ritatis: ubi pax unitatis: u-
bi cōcordia fr̄nitatis: ubi a-
mor socialis heu prohdō
lor piit taciturnitas regula-
ris: ablata ē sc̄itas religioſis
defecit silētiū ord̄is ad ni-
hilum deuēit: religiositas
mōasterii anulata ē chari-
tas fr̄nitatis: Sed si illi qui
ī pace debēt uiuef̄ icipiūt
cōtēdere: litigare: d̄trahēf̄
ubi ē uita trāq̄lla: ubi uita
q̄eta: ubi uita pacifica: ubi
uita hōesta: ubi uita mod̄-
sta: ubi uita cōtēplatiua: u-
bi uita āgelica. Certe nō
pōt ibi eē pax ītegra ubi
regnat d̄trahens lingua: u-
bi regnāt rixē: & cōtētiō-
nes nō pōt eē p̄fecta reli-
gio. Vide ergo soror dile-
cta ne p̄ lites & cōtētiōes p̄-
das tuos labōf̄s. Caue ne
dies tuos p̄das p̄ d̄tractio-
nes & rixas. Attende tibi
diligēter ne p̄ iurgia & cō-
tētiōes p̄das celestes p̄mis-
siōes. Esto sollicita ne per

stulta uerba p̄das gaudia
eterna. Igit̄ linguā tuā re-
frena & eris religiosa : qa
si eā nō refrēaueris religi-
osa nō eris . Sed si forsitā
mihi nō credis audi Iaco-
bū apo. dicētē: Si qs putat
se religiosū eē nō r̄frenās
liguā suā sed fēducēs cor
suū huius uana ē religio. li-
gua modicū ē mēbrū in
corpore hoīs. Sed tamē si
refrenata nō fuerit totū
corpus maculat & corrū-
pit. Nā sicut modicū fru-
mētū corrūpit totā mas-
sā : & sicut parua scintilla
ignis magnā siluā icēdit.
Ita ligua siue frēo domi-
nos & p̄positos eq̄les &
socios subiectos & puulos
oēs scādelizat: & ad iracū-
diā puocat. Liguā otetio-
sa si frenū nō hēat nullus
hō cū ea ī pace uiuere po-
terit. Rixosa ligua uenēo
ē plena q̄ si nō f̄xerit casti-
gata oēs socios suos pdu-
cet ad scandala. Soror ue-

nerabis ergo bonū ē tibi
ut p̄hibeas liguā tuā a ma-
lo & labia tua ne loquant̄
dolū. Cōsidera unde ueni-
sti & ad qd uēisti. De mū-
do existi & ad castra dei:
hoc ē ad monasteriū fugi-
sti. Diuitias seculi postpo-
suisti & ad celestes diuiti-
as p̄merēdas uēisti. Et iō
pauptatem elegisti: gratis
pauptatē elegisti . Et iō ob-
liuōi debes tradere oīa q̄
p̄p̄ deū f̄liq̄sti. Caue ergo
ne uelis alius te p̄ferī q̄to
maior es tāto te humilia
in hoīb̄s dimitte conuē-
ticolā cōspirationis & de-
tractiōis. Fuge murmura-
tiōes & susurratiōes: susur-
ratiōes non audias. Mur-
muratiōibus aurē tuā nō
prebeas. Separa aures a
detrahentibus quasi a ser-
pentibus: Fuge detrahen-
tes q̄si serpentes detrahē-
tes infundunt uenenum
mortiferum ī auribus se
audiētīū: q̄ d̄trahit & q̄ d̄

trahētē libēter audit uter
q̄ peccat. Nō solū ille q̄ d̄
trahit peccat sed & ille q̄
uolūtariē detrahētē audit
Honestā uirgō audi ea q̄
dicit uir p̄fectus ī psalmo
Nō sedi cū cōsilio uanita-
tis & cū iniq̄ gerētibō nō
itroibo: Tu ergo cū cōsilio
uanitatis nō sedeas & cū
mala loq̄ntibō nō cōmisce-
aris nō cōtēdas ī ulla cā: ī
nulla cā decertare studeas
Cōtētio lites parit. Cōtē-
tio pacē cordis extīguit.
Cōtētio ripas gignit: Cō-
tētio iurgia seminat. Con-
tētio faces odiorū accēdit
Cōtētio cōcordiā rūpit.
Cōtētio conturbat oculū
mētis sicut ait Dauid. tur-
batus ē oculus meus a fu-
rore. Iḡr amabilis in xp̄o
soror moneo te ut in ulla
cā cōtēdas. Nō cōtēdas p̄
cibo neq̄ p̄ potu neq̄ p̄
uestimēta. Sed accipe de
manibō p̄positaḡ tuarū
ea q̄ tibi dederūt sine mur

muratiōe q̄ a p̄positis tuis
tibi fuerit mīstratū sine
murmuratione accipe. Si
soror tua meliora uesti-
mēta accepit q̄ tu accipi-
sti nō sit tibi cure: si p̄posi-
ta tua dederit tibi uile ue-
stimentū & sorori tue de-
derit preciosū de hoc nō
murmures. Si meliora ue-
stimēta sororibō tuis fue-
rūt & tu accepisti uiliora su-
p̄ hoc nō cōtēdas. In nulla
tp̄ali cā eligas meliora: In
trāsitoriis rebus meliora
nō q̄ras. In rebō mūdi me-
liora nō cōcupiscas: q̄re q̄a
nō uenisti ad diuitias: sed
ad paupertatē. Nō uenisti ad
mōasteriū ut diuitias ter-
renas hēas: sed ut uirtutes
spirituales acq̄ras. Nō ue-
nisti ad claustra ut ī uesti-
mētis p̄ciosis resplēdeas:
sed ut in simplicitate deo
seruias. Nō uenisti ad or-
dinē ut āte oculos hoīum
ī uestibō gloriosa appeas:
sed ut p̄ humilitatem deo

placeas. Nō uenisti ad fan-
ctā cōgregationē ut uolū-
tatē tuā cōpleas: sed ut uo-
lūtati aliene obedias & p
deo oīa terrena despicias
Alioqn meliō tibi fuerat
ī domo p̄ris tui remanēf
q̄ ī monasterio p̄ciosa ue-
stimēta q̄rere. Meliō tibi
fuerat ī domo parētū tu-
orū habere solaciū: q̄ īter
āncillas dei p̄ terrenis &
trāsitoriis rebus mouere
scādalu. Meliō tibi fuerat
ī terra tua cōmorari: q̄ in
domo dei p̄ tpalibō rebo
cōtēdere: aut litigare aut
murmurare. Iḡr soror ca-
rissima: sicut sup̄ius dixi ti-
bi: ī nulla cā decertare stu-
deas: nisi ut soli deo place-
as. Amen.

De disciplina. Ser. xviii.

Sapientissimo salomō
ait. Audi fili mi disci-
plinā p̄ris tui: & ne dimit-
tas legē m̄ris tue: ut adda-
tur gr̄a capiti tuo: & tor-
ques collo tuo. Tene disci-

plinā: & ne dimittas eam.
Custodi illā: q̄a ipsa ē m̄f
tua. Accipe disciplinā: &
noli abiicere eā: Qui odit
castigatōes: stultus ē. Qui
ī crepatōes reliquat mul-
tū errat. Qui disciplinam
d̄spicit peccat. Qui custo-
dierit disciplinā: inueniet
uitā. Qui uero disciplinā
noluerit custodire: iueni-
et mortē. Egestas & igno-
minia erit illi q̄ deserit di-
sciplinā. Qui acquiescit ca-
stigati: gloriabit̄: Stultus
irridet disciplinā p̄ris sui.
Qui at̄ custodit ī crepatio-
nes: sapiēs ē. Plus p̄ficit ca-
stigatio ligue apud prudē-
tē: q̄ cētū plage apud stul-
tū. Vir sapiens & discipli-
natus nō murmurabit: ad-
uersus eū q̄ castigat illum:
Tamē castigatio debet eē
moderata. Vnde beatus
Ambro. Leniter castiga-
tus exhibet reuerentiā ca-
stigati: q̄ uero crudeliter
castigat̄ uel ī crepat̄: nec ī

crepationē suscipit nec sa-
lutē: blāda pietate sūt por-
tādi: q̄ pro sua ifirmitate
nō possūt icrepari pro di-
uersitate peccatiū alii por-
tādi sūt: alii castigādi: q̄
modus diuersus ē pccōḡ.
Prelati ecclesie portā de-
bēt subitos suos quos cor-
rigunt: & corrigere quos
portāt. Hic Salomō ī basi-
bus templi domini imagi-
nē leonis: & bouis: & che-
rubī: ope sculptorio fecit
pingere. Quid aliud desi-
gnāt bases ī tēplo: nisi pla-
tos ī ecclesia? Quicūq̄ so-
licitudinē regiminis susci-
piūt: tāq̄ bases portāt on-
suppositū: Cherubī pleni-
tudo scientie iterptat. In
basibus cherubī cherubī
mōstrat: q̄a p̄lati ecclesie
plēi debēt eē celestis sciē-
tie. Per leonē terror seu-
ritatis figurat: Per bouē
uero paciētia māsuētudis
ostēdit. Itaq̄ ī basibus ne-
q̄ leones sine bobus: neq̄
boues sine leōibus expri-

muntur: quia p̄lati eccle-
sie: aliquando rigide: ali-
quando cum dulcedine: a-
liq̄do cū aspitate: aliq̄do
uerbis: aliq̄do flagellis: de-
bēt subiectos suos corri-
gere: q̄a ille q̄ blanda uer-
ba castigatus nō corrigi
neesse ē ut acrius corri-
gat: uel arguat: Cū dolor
n. abscondenda sūt uulne-
ra q̄ leuiter sanari nō pos-
sūt. Qui secreto admoni-
tur de peccato corrigi ne-
gligit publice ē arguēdū:
ut uulnus q̄ occulte sana-
ri nequit: māifeste debe-
at emēdari palā sūt arguē-
di: qui palā nocēt. Ut dū
aperta obiurgatiōe sanāt
hi q̄ eos imitādo delique-
rūt: corrigant: ut dū unus
corripit: ceteri emēdēt.
Melius ē ut p̄ multoꝝ im-
saluatione unus condēn-
netur q̄ per unius licenti-
am multi periclitentur.
Etiā beatus Gregori. ait.
Sūt multi qui uerba icre-
pationis audiūt & ad peni-

tentiā redire contēnunt.
Vnusquisq; audiat de re-
gno dei quod diligat: Au-
diat de inferno qđ timeat
ut si p amore ad rgnū nō
uenit. Salti per timorē ue-
niat. Verba sūt bti isidori
iusti benigne suscipiunt
castigationē qđo de suis
culpīs arguūt. Soror cha-
rissima disciplina ē emen-
datrix q̄ nō ē uilipēda: &
iō debemus p̄latos n̄ros
diligē & uerba eorū bēi-
gne suscipē: q̄ p̄ icrepati-
ones & castigationēs suas
aufert a nobis pprias uo-
lūtates: & mūdi cupidita-
tes. Vnde ī cāticis cātico-
rū de eisdē p̄latis. Ecclesia
uel quilibet fidelis aīa di-
cit. Inueniūt me custodes
q̄ custodiūt ciuitatē p̄cu-
serūt me & uulnerauerūt
me: tulerūt mihi paliū me-
um: custodes meorū p̄cu-
sodes ciuitatis. Intelligi-
mus p̄latos q̄ statū scē ec-
clesiē custodiūt: q̄ et aīam

fidelē iueniūt: eāq; suis p̄-
dicatiōibus & exornatio-
nibus atq; minis percuci-
unt & amore charitatis
xp̄i uulnerāt nec solū hoc
sufficit eis sed et palliū ei
tollūt. i. oēm terrenā dele-
ctationē atq; substātiā tē-
poralē ab ea aufert & eā
nudā peccatis ac spoliatā
diuitiis ad regnum celoꝝ
trāsmittūt. Igit̄ soror mi-
hi in xp̄o dilecta ualde di-
gnū ē: ut p̄latos n̄ros q̄si
p̄res diligam: & ut ab eis
disciplinam nostre salutis
libenter suscipiamus secu-
dum cōsiliū dauid p̄phe-
te dicentis: apprehendite
disciplinam ne quādo ira
scatur dominus & perat-
tis de uia iusta. ergo si de
uia iusta nolumus perire
necessē est nos discipli-
nam suscipere. Si ille qui
disciplinam non suscipit
de uia iusta peribit pro-
culdubio in uia iusta: cō-
firmatus erit q̄ disciplinā

fufcipit. Nunc ergo fofor
uenerabilis moneo te ut
libenter fufcipias discipli
nā ut ab ira dei dībereris
& ī uia iufta cōfirmeris.
Multas age grās illi q̄ ca
ftigauerit te: illi q̄ īcrepa
uerit te grās f̄pēde. Si ab
batiffa uel prioriffa p̄ fa
lete tua īcrepauerit te nō
cōtrifteris: quū abbatiffa
uel prioriffa monftraue
rit tibi uia salutis tue fufci
pe doctrinā illi gratis. q̄
do aliq̄ monftrauerit ti
bi cam̄ tue salutis tu non
fis rebellis. Dilige eas q̄ te
rephēdūt de tuis trāsfref
fionibō. Ama eas q̄ te cafti
gauerūt de tuis negligētis:
q̄fi alates dilige eas q̄
te rephēdūt de tuis trāsfref
fionibō: caftigātibō ī
iuriā non respondeas. In
crepātibō te contūeliā nō
dicas: mala p̄ bōis nō red
das. Aduerfus bona con
filia non respondeas iur
gia. Aduerfus bona uer

ba nō r̄fpōdeas mala: q̄re
qa q̄ diligit disciplinā dili
git fapientia: ergo & tu fi
disciplinā dilexeris fapiēs
eris. Prudēs eris fi īcrepa
tiōes patiēter fufinueris:
fapiēs eris fi hūiliter cafti
gatiōes portaueris. Hęc
fta uirgo iō a domio & a
platis n̄ris ī hac uita corri
pimur ut non cū hoc mū
do dānemur. Multo me
lius ē nobis ī hac uita a p̄
latis n̄ris p̄ negligētis cor
ripi q̄ ī futura uita dānari
Melio ē nobis ī hoc fecu
lo a p̄pofitis n̄ris pro trāsfref
fionibō & culpis cafti
gari q̄ ī futuro feculo pu
niri. Amabilis mihi ī xp̄o
fofor: melio ē tibi māu ab
batiffe flagellis cedi: q̄ ī in
ferno penas pati: melius
eft tibi māu abbatiffe uel
e prioriffe flagellari ī hac
uita q̄ in inferno crucia
ri ī futura Melius tibi eft
māu abbatiffe flagelis uer
berari q̄ ī inferno torq̄ri.

Melior tibi est in hoc mundo
quam manū abbatisse uel prio-
rissime sustinere flagella: quam pa-
ti eternas penas in gehēna
Melior est tibi manū abbatif-
se uel priorissime tepalif af-
fligi uirgulis: quam cremari in
ternis icēdiis. A quo te di-
gnetur liberaſ ille qui te rede-
mit suo precioso sangui-
ne. Amen.

De obedientia. Ser. xix.

Soror charissima audi
uerba pauli apo. Non
est potestas nisi a deo. Que autem
sunt ordinata a deo: ordinata
sunt. Iamque qui resistit potestati dei
ordinatiōi resistit: ergo non
debetis continere potestates
sive mundi sint sive eccle-
sie: quia omnes a deo ordinate
sunt. Igitur quando per obedientiam
prelatis nostris contradicimus: deo
iniuriam facimus: Quando per su-
perbiam & inobedientiam prelatis
nostris rebelles sumus: contra
dei precepta facimus. quando
prelatis nostris contumaces su-
mus atque inobediētes deum

continemus: qui dixit. Qui
uos audit me audit. id est. qui uo-
bis est obediens: mihi obedi-
ens est. Et qui uos despicit me
despicit. Soror dilecta mi-
hi in christo ergo qui prelatum suum
despicit: deum despicit. Et qui
prelatum suum honorat: deum
honorat. Et qui obediens
est prelati suo: obediens est deo
Hanc uirtutem. id est. obediētiam
laudat samuel propheta di-
cens. Maior est obediētia: quam
sacrificium: & obedire ma-
gis quam offerre ad yper arietum
quonia quod si peccatum ariol-
ladi est: repugnare: & quasi
scelus ydolatrie nolle ac-
quiescere. id est. nolle obedi-
re. Maria soror aaron per super-
biam & inobediētiam murmu-
rauit contra Moysen fratrem
suum: & statim percussa est lepra
Maria qui contra Moysen fra-
trem suum. id est. prelatum murmura-
uit: per inobediētiam & rebellio-
nem significat animam cuiusli-
bet hominis: qui murmurat con-
tra prelatum suum: cui non uult

obedire: nec p̄cepta salu-
tis accipe. Et q̄a non uult
p̄ obedientiā p̄cepta sui p̄-
lati suscipere lepra p̄ccōr̄: p̄-
cutit atq̄ fedat. Etiā cho-
redathā: & abyrō q̄ cōtra
moysē & aarō p̄ sup̄biam
& cōtumeliā atq̄ iobediē-
tiā iſurrexerū: statī p̄ sua
p̄sūptiōe penas sustinue-
rūt: sicut scriptum ē ī psal-
mo. Apta ē terra & deglu-
tuit datā. & opuit sup̄ cō-
gregationē abyrō. Et ite-
rū. Exarsit ignis in sinago-
ga eor̄: flāma obussit pec-
catores. Nā & ozias rex
cū p̄ sup̄biā: & iobediētiā
atq̄ contumatiā turibulē
accepisset & cōtra legem
dei sacrificare uoluisset: a
deo est lepra p̄cussus: atq̄
maculatus ī fronte. Nā &
faul rex q̄a iobediēs fuit:
regnū pdidit: & ī manib̄
inimicor̄ suor̄ cecidit.
Etiā ionas p̄pheta p̄ iobe-
diētiā fugit: & cū p̄ncis ab-
sorbuisset atq̄ ī p̄fūdū ma-

ris misit. Cauēdū ē igitur
nobis: ne cōtra p̄latos n̄ros
p̄ iobediētiā audeamus in-
surgere: ne domūs p̄ eis
uelit ī nos q̄a uice sua fun-
gunt̄ aspe uisitare. Vene-
rabilis soror p̄ salute n̄ra
posuit deus p̄latos ī eccle-
sia: ut nobis p̄uideāt & ut
deo p̄ nobis rōnē reddāt
atq̄ nos ne mala faciam̄
custodiāt. Vnd̄ pat̄. apo:
Obedite p̄positis ūris &
subiacete eis: ipsi. n. p̄ iugi-
lāt̄ q̄si rōnē reddiduri p̄ aia
bus ūris. Prelati debēt cu-
stodire ac regere gregem
domini: cū magna uigilā-
tia ac solitudine. De q̄b̄
ī cāticis cāticor̄ legiſ. Le-
ctulū salomōis sexaginta
fortes ambiūt: ex fortissi-
mis israhel: oēs tenētes gla-
dios: & ad bella doctissimi:
mi: uniuscuiusq̄ ensis sup̄
femur suū: p̄ timores no-
cturnos. Verus salomon
xp̄s esse itelligiſ: q̄ reuera
pacificus ē q̄a pacem iter

deū & hominē reforma-
uit. Lectulū uero salomo-
nis cōgregatio ē fideliū ī
qua deus hītat & req̄scit
Lectulū uero solomonis
sexagīta fortes ābiūt. s. p̄
lati: q̄ defendēdo: castigā-
do: icrepādo. corripiēdo:
admonēdo: circūeunt: &
custodiūt ecclesiā dei: con-
tra uicia: & contra inimi-
cos uisibiles atq̄ iuisibiles
Qui iō fortes eē dicunt:
q̄ p̄lati s̄cte ecclesie p̄fe-
cti sunt ī obseruatiōe mā-
datōꝝ dei. Oēs tenentes
gladios. i. spirituale uerbū
q̄ predicādo uitia subie-
ctorū debent reprimere.
Ad bella sunt doctissimi:
quia necesse ē ut ad bella
spiritualia sint instructi.
Vniuscuiusq̄ ensis sup̄ fe-
mur suū. Prelati scē eccle-
sie sup̄ femur enses tenēt
q̄ prius ī se: & tūc in sibi
subiectos uicia carnis de-
bent resecare. Et hec oīa
faciūt p̄p̄ timores noctur-

nos. i. p̄p̄ occultas insidias
malignoꝝ spiritū: qui ī
nocte huius seculi maxie
insidiant̄ sanctis prelati-
s ut illis deceptis lectulū sa-
lomonis. i. congregatio-
nem seruoꝝ dei fedar̄ ac
maculare possint. Soror
charissima: ideo hec dixi
tibi: ut cognoscas q̄ deuo-
te quāq̄ humiliter debe-
mus prelati nostris obe-
dire. Obedientia sola uir-
tus est: que uirtutes ce-
teras menti inserit: inser-
tasq̄ custodit. De qua sa-
lomon ait. Melior est o-
bedientia q̄ uictime: quia
per uictimas aliena caro
mactatur: per obedienti-
am uero propria uolun-
tas religatur. Vnde uir o-
bediens loquitur uictori-
as: quia dominum aliene
uoci humiliter obedit: se
metipsum in corde supe-
rat. Adam in infernum
cecidit: quia inobediens
fuit. xp̄s uero ad celū ascē

dit: quæ usque ad mortem deo
patri obediuit. Sicut per ino-
bedientiam Ade peccatores
constituti sunt multi: ita per
obedientiam christi iusti consti-
tuti sunt multi. Et sicut propter
peccatum Ade omnes homines sunt
in condemnationem mortis:
ita per iustitiam christi omnes homines
in iustificationem uite. Et ite-
rum. Sicut inobedientia pri-
mi parentis generauit mor-
tem: ita obedientia christi gene-
rauit uitam. Igitur soror di-
lecta: si per christum fueris obe-
diens tuis prelati: cum christo re-
gnabis in celis. Contra ma-
træ tuam. id est abbatissam uel prio-
rissam: nunquam uerbum aspera di-
cas. Prelatis tuis nunquam rebel-
lis existas: prepositis tuis in
ulla causa contraducas. Vene-
rare autem omnes melioris scien-
tie: ac melioris uite. Ve-
rare unumquemque hominem per
suo merito scitatis. Maiori
gradui reuerentiam tribue
competentem. Secundum dignitatem
unicuique homini tribue hono-

rem. Superiori gradui equalem se
non exhibeas. Senioribus
sta obedientiam: & famula-
re humiliter propriis eorum. Ce-
de auctoritati maioribus. de-
fer digna seruitia maiori-
bus. Esto cunctis obediens
in bonis preceptis. Os sponsa
christi: ita obedias homini ut non
offendas uoluntatem dei. In
malis operibus nunquam sis obe-
diens. Non obedies illi qui
male tibi facere mandauit:
malum facere iussa, non
confertias. Noli obedire in
malo cuiquam potestati. Etiam si pe-
na compellat: si supplicia imi-
nent: si tormenta occurrant
Melius est mortem pati: quam ma-
la iussa implere. Melius est
ab horum iugulari: quam ef-
fero iudicio danari. Neque
non est sine culpa: qui ut ma-
lum fieret obediuit. Igitur
soror uenerabilis: esto o-
bediens usque ad mortem
& dabit tibi deus coronam
uite. Amen.

De perseuerantia: Ser. xx.

Soror charissima au
di beatū Hiero. dicē
tē. Nō q̄runt ī xp̄ianis ini
tia uel exordia sed finis &
p̄seuerātia. Pau. apo. ma
le cepit sed bene finiuit.
Iudas uero scarioth bene
cepit sed male finiuit. La
udas initiū iude sed finis
